



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus theologici iuxta scholasticam huius temporis
Societatis Jesu methodum tomus ...**

Amico, Francesco

Duaci, 1640

Disputatio Qvinta. De simplicitate Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82000)

li nullam dicere perfectionem in Deo; de materiali autem importare maximam. Primum constat, quia Vnitas de formali importat indiuisiōem entis in se, & diuisiōem à quocunque alio, quæ sunt negationes: negatio autem, cum non affirmet aliquid de subiecto, sed potius neget, nullam de formali dicit perfectionem. Nec refert, quod indiuisio dicat

negationem diuisiōis entis in se, quæ formaliter est negatio; quia non negat diuisiōem ipsam entis formalem, sed fundamentalem: quo pacto non est negatio negationis, sed affirmationis. Secundum patet, quoniam de materiali Vnitas in Deo importat talem perfectionem, ratione cuius implicat in plures diuidi, quæ est maxima perfectio.

DISPVATIO V.

De simplicitate Dei.



Henricus.
Auerroes.

VNITATEM sequitur simplicitas, quæ teste Henrico in summa art. 28. q. 1. species quædam est perfectæ vnitatis: vnde Auerroës 12. Metaphysices text. 37. illam Deo tribuit post vnitate.

Duplex quippe est vnitas: altera, quæ opponitur multitudini, & comitem excludit eiusdem naturæ: altera, quæ opponitur multiplici parti componentium, & compositionem plurium respuit. Vnde omne simplex est vnum: non tamen omne vnum est simplex; quia vnum admittit compositionem plurium, quam excludit simplex. Duplex autem est in hac re difficultas, altera, an in Deo sit vel esse possit aliqua compositio: altera, an ipse venire possit in compositionem alterius.

SECTIO I.

An in Deo sit, vel esse possit aliqua compositio?

I. **D**VPLEX est compositio, realis, & rationalis. Prior adhuc est duplex, alia ex potentia obiectiua & esse, alia ex potentia subiectiua & actu, quæ quadruplex est, ex materia & forma, ex partibus integrantibus, ex natura & substantia, ex subiecto & accidente. Posterior etiam est duplex: alia, quæ consurgit ex solis perfectionibus, quæ sunt in ipsam Deum; alia quæ componitur ex ratione propria Dei, & alia communi Deo & creaturis. His adnotatis,

2. **D**ICO 1. Implicat in Deo compositio ex potentia obiectiua & esse, non solum re, sed etiam ratione. Prior pars claret, quia talis compositio supponit rem potuisse non esse; Nam ea dicuntur in potentia obiectiua, quæ ex se ipsa non sunt, possunt tamen esse vi alterius potentie, in cuius virtute continentur, & cuius vim, antequam sint, obiectiue terminant. Implicat autem Deum contineri potuisse in virtute alicuius potentie, cuius vim productiuam obiectiue terminasset, antequam esset: ergo. Posterior pars patet, quia implicat concipere rem sub opposito suæ essentie: atqui ef-

fectia Dei est ipsum esse seu existere: ergo implicat, etiam ratione, concipere Deum cum potentia obiectiua ad esse.

3. **D**ICO 2. Implicat in Deo quæcunque realis compositio ex partibus actu distinctis. Fundamentum est, quia omnis talis compositio supponit limitationem partium componentium: supponit enim, quod vna pars componens excludat à se perfectionem alterius partis componentis, atque adeo supponit illam limitatam ad esse tantum partis; nam propterea exigit vnionem compartis, quia caret perfectione illius, quam si haberet, exigere non posset. Implicat autem, vllam perfectionem Diuinam limitari ad vnum tantum genus perfectionis, & re ipsa excludere omnes alias perfectiones. Minor patet, quia omnis perfectio Diuina essentialiter est à se: ergo omnis perfectio Diuina est illimitata ad omnes perfectiones possibiles. Confirm. quia Deus est actus purus, cui repugnat omnis realis compositio: quia omnis realis compositio supponit potentiam passiuam, quæ opponitur actui puro: qui propterea purus dicitur, quia nullam admittit potentialitatem actui repugnantem.

4. **D**ICES: vna perfectio Diuina relatiua non includit alias perfectiones relatiuas: ergo non quælibet perfectio Diuina est illimitata ad omnes perfectiones possibiles. Resp. Distinguendo antecedens: non includit alias perfectiones relatiuas oppositas, concedo: non includit alias perfectiones relatiuas non oppositas, & simul absolutas omnes, nego. Nec est de perfectione relationis Diuinæ, includere formaliter oppositam relationem; quia per hanc formalem inclusionem tolleretur Trinitas personarum, atque adeo secunditas Diuinæ nature, quæ est perfectio maior. Omnis autem perfectio, quæ excludit perfectionem maiorem, implicat in Deo; quia Deus, ex dictis, est quod maius, excellentius quæ excogitari non potest. Est igitur de essentia cuiuslibet perfectionis Diuinæ, vt re ipsa non excludat perfectiones non oppositas: relatio autem, cum opponatur correlationi, non est de essentia earum, vt se mutuo includant. Est autem de essentia tam perfectionis absolute includere omnes & absolutas, & relatiuas, quam per-

fectionis

fectionis relatiuæ non excludere, nisi correlatiuè oppositas. Si autem esset in Deo Physica cōpositio ex partib. actu distinctis, perfectio absoluta vnius partis re ipsa excluderet perfectionem absolutam alterius compartis: quia pars non distinguitur à comparte solâ perfectione relatiuâ, sed etiam absolutâ, nam idèd exigit vniri comparti, vt perfectionem, quam non habet ex se, accipiat à comparte. Pars autem nō exigit accipere à comparte relationē, quia relatio, vt relatio, non ordinatur ad componendum vnum tertium: cū enim relatio opponatur correlationi, non potest ordinari ad componendum vnum cum illa, quia quæ ordinantur ad componendum, debent sese mutuo perficere in vno tertio, relationes autem oppositæ nequeunt sese mutuo perficere in vno tertio; igitur nequeunt ordinari ad cōponendum vnum tertium. Minor constat, quia nulla res potest perfici per inclinationem ad oppositum suæ nature: sed relatio essentialiter inclinat ad distinctionem, & oppositionem, non ad vnitatem & compositionem cum sua correlatione: ergo.

5. Hinc deducitur, tres relationes personales in Deo nullam facere compositionem, nec inter se, quia cū sint oppositæ, non petunt inter se vniri, sed potius realiter distinguere: neque cum natura, à qua nullo pacto distinguuntur ex natura rei.

Concilium
Lateran.

6 Et hæc quidem de compositione reali non modò ratione naturali, sed etiam Fide Diuina certa sunt, & definita in Concilio Lateranensi, vt refertur cap. *Firmiter* de summa Trinit. & Fide Catholica. Non nihil controuersia habet compositio rationis, an ea locum habeat in Deo: & quoniam hæc duplex est, altera quæ coalescit ex rationibus Diuinis, altera ex ratione communi Deo & creaturis: nunc de priore, sequenti sectione de posteriore.

S. Thomas

Bonauentura.
Argentinas
Ferrariensis
Gillius.
Vasquez.
Suarez.

7. PRIMA sententia concedit in Deo compositionem rationis, confluentem ex diuersis rationibus obiectiuis: Est S. Thom. in 1. dist. 24. qu. 1. art. 2. ad 4. & dist. 25. art. 1. ad 2. Bonauentura. dist. 34. art. 1. quæst. 1. Argentin. Dist. 8. quæst. 1. art. 1. ad 5. & art. 3. Ferrariens. 1. contra Gentes. c. 58. Gillij lib. 2. tra. 4. c. 14. Vasquez. p. p. Disp. 121. c. 3. Suarez de Deo lib. 1. cap. 4. Probatur primò, quia ad compositionem rationis nil aliud requiritur, quàm mentalis multiplicitas rationum cum obiectiua vnione earundem inter se: sed totum hoc attribui potest Deo ex modo nostro concipiendi cum fundamento in re: ergo potest Deo tribui compositio rationis. Maior constat, quoniam compositio rationis concipienda est ad instar compositionis realis: ergo sicut ad hæc sufficit realis multiplicitas extremorum, cum subiectiua vnione inter se: ita ad illam sufficit mentalis multiplicitas rationum, cum obiectiua vnione inter se. Minor ostenditur, nam in Deo, ob infinitam eminentiam perfectionis est fundamentum multiplicis conceptibilitatis rationum; & ob summam vnitatem, est fundamentum obiectiue vnio-

niscarundem inter se: ergo est fundamentum mentalis compositionis.

8. Confirmatur: quia magis recedit à Diuina simplicitate multiplex conceptibilitas perfectionum, quàm mentalis vnio earundem inter se, quia magis hæc accedit ad Diuinam vnitatem, quàm illa ad Diuinam simplicitatem. Ergo si datur multiplex conceptibilitas perfectionum, dari etiam poterit mentalis coniunctio earundem in vnam rationem ex illis obiectiue compositam.

9. Secundò, quia sicut in Deo, ob illimitationem perfectionis, est virtualis distinctio, quæ equipollet diuersis perfectionibus creatis: ita ob summam identitatem est virtualis vnio, quæ equipollet diuersis cōpositis creatis.

10. Tertiò: Implicat esse vnum & plura absque compositione: sed in Deo est vna perfectio, respondens adæquatè multis à nobis inadæquatè conceptis: cū ergo omnes istæ perfectiones à nobis inadæquatè conceptæ, sint de intrinseca & adæquata ratione illius, debent omnes concipi vt coalescentes in illam vnam, atque adeo vt obiectiue, & secundum rationem illam componentes.

11. SECUNDA sententia negat in Deo omnem compositionem rationis. Est Aureoli in p. dist. 1. quæst. 1. artic. 2. & dist. 8. part. 4. distinctionis art. 1. Capreol. dist. 2. quæst. iunc. 3. ad 2. & 4. argumentum. Fasoli 1. p. quæstione 3. artic. 7. dub. 4. potissimum fundamentum est, quia talis compositio importataliquam imperfectionem in Deo: ergo non est concedenda.

Aureolus.
Capreolus.
Fasolus.

12. Pro explicatione, notandum præsentem controuersiam non esse, an quomodo-cumque in Deo concipi possit compositio rationis: sic enim nemo dubitat, posse nos, & de facto eam interdum in Deo concipere; sed, an concipi possit absque vlla imperfectione repugnante esse Diuino. Pro quo vltèrius notandum, duplicè esse compositionem rationis, vnâ per modum vnionis, connectentis extrema mutuo perfectè condiuisa; secundum rationes obiectiuas, siue per modum plurium coalescentium in vnum tertium, conflatum ex iisdem perfectionibus remanentibus in toto inuicem distinctis, & condiuisis secundum rationem: sicut in quolibet composito reali extrema vnita, manent inuicè realiter distincta: alteram per modum identitatis, perfectè sibi identificantis extrema vnita: siue per modum plurium rationum coalescentium in vnâ perfectam formalitatem, absque vlla mutua distinctione extremorum in toto. His positis,

13. DICO Tertiò: Repugnat Deo compositio primo modo, non autem secundo. Iuxta hanc conclusionem conciliantur Doctores citati pro vtraque sententia, & Patres, qui interdum compositionem rationis in Deo admittunt, interdum verò negant. Lege Anselmum in Prologio cap. 18. vbi compositionem per intellectum Deo negat: *Nā quæ possunt, inquit, ab intellectu dissolui, aliena sunt à Deo, quo nihil melius excogitari potest.*

Anselmus.

14. Fundamentum prioris assertionis est

imperfectio, quam talis compositio essentialiter importat in extremis ipsis mentaliter componentibus. Imperfectio autem, est ipsa mutua conditio partium in toto; siquidem alterutra manet obiectiue perfecte condistincta ab altera: hanc enim mutuam condistinctionem extremorum exigit realis unio, ad instar cuius concipienda est mentalis. Vnde sequitur perfectius concipi totum constitutum ex utraque perfectione simul, quam ex vna tantum. Quæ omnia pugnant cum perfectionibus Diuinis, quæ sicut in se sunt illimitate simpliciter, ita contra ipsarum naturam concipiuntur limitate ad vnam tantum perfectionem, excludendo perfectionem tam partis componentis, quam totius constituti.

15. DICES, ad compositionem rationis non opus esse, ut extrema componentia se mutuo excludant positiue, sed tantum negatiue: sicut conceptus sapientie non excludit positiue perfectionem bonitatis, sed tantum negatiue, illam non includendo, non autem positiue excludendo. Sed contra, tum quia, ut constat ex Disp. 3. sect. 7. eo ipso, quo aliqua ratio non includit obiectiue aliam, potest de illa affirmari obiectiua exclusio alterius, ac proinde non tantum negatiue, sed etiam affirmatiue excludit obiectiue illam. Tum quia nequeunt extrema concipi, ut partes componentis, nisi concipiantur se mutuo positiue excludentia: hoc enim importat totum ex pluribus compositum, ut neutrum componentium includat alterum, cum quo debet componere: alioqui non conciperetur aptum constitui cum illo totum, quod essentialiter fit ex partibus mutuo distinctis. Confirmatur: quia compositum debet esse tale, de quo possit positiue affirmari, quod neutra pars componens sit totum compositum.

16. Posterior pars assertionis probatur, nam compositio secundo modo accepta nullam inuoluit neque in toto, neque in rationibus ipsis componentibus imperfectionem. Non in toto: quia in hac sententia, totum non concipitur coalescere per unionem plurium obiectiue distinctorum, sed per identitatem plurium conceptuum, in vnam simplicissimam formalitatem coalescentium: posterior enim conceptus additus priori, non componit propriè cum illo, quia non manet obiectiue distinctus ab illo, sed inclusus obiectiue in illo, & tantum explicat, quod prior implicitè dicebat. Neque in ipsis rationibus componentibus, quia neutra ratio componens excludit aliam, sed potius sese mutuo includunt. Est enim compositio hæc per modum expliciti & impliciti, seu inclusi & includentis, ad eum ferè modum, quo ratio substantiæ componit cum ente, quarum neutra ratio excludit aliam, sed illam implicitè inuoluit. Neque in toto, ratio entis & perfectitatis manent inuicem conditio, ne quidem per rationem: sed illæ statim coalescunt in vnam entitatem indiuisibilem, conceptibilem tantum per conceptus inadæquatos, quorum vnus explicat, quod alter implicitè tantum si-

gnificat. Atque hæc tantum compositio, cum nullam importet imperfectionem, concedenda est Deo.

17. DICES: aliquam compositionem dicere debet compositum ex rationibus Diuinis obiectiue componentibus, quam non dicit Deus in se ipso: atqui in hac sententia nullam compositionem dicit compositum ex rationibus Diuinis obiectiue componentibus constitutum: ergo. Resp. Negando minorem: dicit enim compositionem ex rationibus sese mutuo implicitè includentibus, quarum neutra in toto manet perfecte conditio ab altera, sed inclusa implicitè in altera. Quam compositionem non dicit Deus in se ipso, quia in se ipso non dicit, nisi vnam indiuisibilem entitatem, continentem omnem perfectionem possibilem.

18. Obijcies 1. Saltem personæ Diuinæ componi possunt ex duabus rationibus, quarum vna perfecte excludat aliam. Assumptum prob. quoniam abstrahibilis est à Diuinis personis ratio communis perfecte præcisa, ex qua & tali personalitate componibilis est obiectiue quælibet persona Diuina. Antecedens ostendo, nam vna persona Diuina non includit alias, sed ab illis perfecte distinguitur: ergo ratio communis non potest implicitè inuoluere rationes particulares singularum. Respond. Negando assumptum: etenim nulla ratio Diuina perfecte & vniuocè præscindit ab inferioribus, sed tantum imperfectè & analogicè: quæ præcisio non sat est ad compositionem metaphysicam, ut patet in ente, quod quia non perfecte & vniuocè præscindit ab inferioribus, non componit metaphysicè cum illis. Ratio autem, cur nulla ratio Diuina potest perfecte & vniuocè præscindere ab inferioribus est, quia quælibet ratio Diuina, ut sic, essentialiter dicit illimitationem, atque ad eò implicitè includit rationes, à quibus abstrahitur, & vicissim includitur in illis.

19. Obijcies 2. Multæ de Deo formantur propositiones denominatiue, ut Deus est sapiens, Deus est iustus &c. Sed istæ necessariò supponunt obiectiuam compositionem prædicati cum subiecto: nam affirmare vnum de alio, est vnum mentaliter componere cum alio: ergo. Resp. cum distinctione Minoris: supponunt compositionem per modum expliciti & impliciti, seu includentis & inclusi, concedo: supponunt aliam maiorem, nego. Et ratio est, quia ut prædicatio sit formalis, debet prædicatum implicitè includi in subiecto, & solum ab eo distingui per explicitum & implicitum, seu inclusum & includens.

20. AD PRIMUM PRIMÆ, nego minorem, loquendo de vniõne obiectiua secundum perfectam conditioem vnitorum. Et ad probationem, nego in Deo esse fundamentum talis vnionis, sicut est fundamentum obiectiue multiplicatis. Non enim in Deo est virtualis compositio, sicut est virtualis distinctio: cuius ratio est, quia multiplicitas rationum solum se tenet ex parte nostri intellectus, supposita tantum ex parte Dei eminentiā Diuinæ

perfe-

Capreolus.

perfectiōnis: vñio verò earundem inter se, nō solum se tenet ex parte nostri intellectus mentaliter vñientis, sed etiam ex parte ipsorum vñitorum, dum concipi debent per modum partium positiuè sese excludentium. Vnde Capreolus: *Dici, inquit, potest Deus multiplex, non tamen compositus secundum rationem: & causam assignat: quia illa rationes non componuntur ad inuicem in Deo, nec in intellectu; cum non habeant vñionem in intellectu ad inuicem, nec in Deo sunt subiectiue.*

21. Ad secundum, nego antecedens: nam multiplicitas conceptionum solum se tenet ex parte nostri intellectus concipientis multiplici conceptu, quod in se est vñio: vñio verò redundat in imperfectiōnem ipsorum vñitorum. Nec refert, quod vñio magis accedat ad vñitatem, quam multiplicitas ad simplicitatem: nam si loquamur de multiplicitate & vñione subiectiua, vtraque repugnat Deo; si de obiectiua, potest vna attribui Deo sine imperfectiōne, sine quā non potest attribui altera.

22. Ad Tertium nego paritatem: nam virtualis distinctio nullam dicit imperfectiōnem, neque in Deo, neque in ipsis perfectiōnibus distincte à nobis conceptis: virtualis autem vñio imperfectiōnem importat in ipsis perfectiōnibus mentaliter vñientis.

23. Ad vltimum implicat esse vñum & plura absque compositione per rationes explicitas & implicitas, seu includentes & inclusas, concedo; per rationes sese obiectiue excludentes, nego.

SECTIO II.

An Deus venire possit in compositionem cum creatura?

24. **D**vplex est compositio, vna Physica, ex materia & forma, ex subiecto & accidente, ex supposito & natura, ex essentia & existentia; altera Metaphysica, ex genere & differentia. De vtraque videndum est, an Deus venire possit in compositionem cum creatura: & primò de Physica. Dupliciter autem intelligi potest, Deum venire posse in compositionem physicam cum re creata. Primò naturaliter, quo pacto materia venit in compositionem cum forma, subiectum cum proprio accidente, natura cum proprio supposito: Secundò, liberè & gratuitò. Primo modo euidentius est, quam vlla probatione egeat, Deum in nullā venire posse cōpositionem cum creatura, euidentia ratio est, quia quod hoc modo venit in compositionem cum aliquo, intrinsecè ordinatur ad illud: atqui euidentius est, Deum non posse intrinsecè ordinari ad creaturas; quia, cum sit omnino independens à creaturis non potest intrinsecè ordinari ad illas: ordinatio enim dependentiam importat, & commensurationem ad illud, ad quod ordinatur. Est igitur tantum

disputatio, an saltem liberè & gratuitò Deus venire possit in aliquam Physicam compositionem cum creatura.

25. **D**ico 1. Implicat Deum venire in compositionem cum forma, vel cum materia. Fundamentum est, quia vtraque compositio euidentem arguit imperfectiōnem in extremis ipsis componentibus. Etenim munus materiæ est, esse subiectum formæ, ab eaque informari & actuari: munus verò formæ, esse actum materiæ, & formale principium omnium operationum immanentium. Implicat autem, Deum, vel actuari & informari à forma, vel actuare & informare materiam, aut esse formale principium immanentium operationum. Minor patet, nam hæc omnia inuoluunt mutationem & perfectibilitatem; quæ in Deum, purissimum actum, cadere non possunt. Confirmatur, nulla substantia completa venire potest in compositionem cum materia, aut cum forma: Deus est substantia completissima: igitur. Maior constat, quia compositio ex materia & forma est ordinata ad faciendum vñum per se, hoc autem non fit, nisi ex substantijs incompletis.

26. **D**ico 2. Implicat, Deum venire posse in compositionem cum accidente. Fundamentum est, quia talis compositio non fit, nisi medio accidente actuante, & informante: implicat autem, Deum actuari & informari ab accidente: ergò.

27. **D**ico 3. Implicat, Deum componere vñum existens cum essentia creata: est contra Thomistas asserentes, humanā naturā in supposito non modò subsistere, sed etiā existere existentia increata Verbi. Fundamentum nostre conclusionis est, quia nulla essentia creata existere potest existentia à se distincta: cum enim formalis effectus existentia, sit ponere rem extra suas causas; implicat autem poni rem extra suas causas, per existentiam à se distinctam; nam hoc ipso, quod intelligitur res in actu intelligitur extra suas causas: intelligitur autem res in actu, hoc ipso, quod ex potentia obiectiua transiit in subiectiuam: ergo hoc ipso, quod essentia creata de esse potenciali transit ad esse actuale, fit extra suas causas, ac proinde existens: atqui non solum ad esse actuale transit existentia, sed etiam essentia; alioqui non fieret, nisi sola existentia, quæ per aduersarios est tantum modus essentia. Hoc autem falsum est: aliàs essentia in actu, & in potentia non distinguerentur, nisi solā existentia. Vnde essentia ipsa in potentia esset immediatum subiectum existentia, & materia, quæ per aduersarios existit existentia formæ, in priori naturæ, in quo præsupponitur ad existentiam formæ, vt causa sustentatiua illius, sustentaret illam per essentiam nondum in actu, quia nondum intelligeretur actuata existentia formæ. Implicat autem, essentiam in potentia, vt in potentia, causare aliquid reale: cuiusmodi est realis sustentatio formæ.

28. **D**ico 4. Implicat, naturam increatam componere cum supposito creato; non

Contra Thomistas.

tamen suppositum increatum cum natura creata. Posterior assertionis pars est de fide, ut constat in mysterio Incarnationis. Cuius ratio est, quia in ea compositione nulla intervenit ex parte suppositi imperfectio, ut suo loco probabitur. Fundamentum prioris assertionis est triplex: primum, quia suppositum creatum est modus: modus autem nequit, nisi propriam naturam terminare: nequit igitur terminare Divinam. Ergo implicat, Deum cum illo componere unum in ratione suppositi. Secundum est, quia nequit natura suppositata proprio supposito ulterius suppositari alieno, ut in materia de Incarnatione probabimus: ergo nequit natura increata suppositata proprio supposito, suppositari alieno. Consequentia patet, quia nulla natura quamdiu suppositatur supposito proprio, suppositari potest alieno: implicat autem, naturam increatam definire suppositari supposito proprio, ergo implicat suppositari alieno. Tertium est, quia sicut suppositare, est communicare aliquam perfectionem supposito: ita suppositari, est recipere aliquam perfectionem à suppositante: igitur si natura Divina suppositari posset à supposito creato, aliquam posset ab eo perfectionem recipere, quod implicat.

29. Ex dictis deducitur primum: Non posse Deum uniri cum creatura in ratione vitæ; quia hæc importat formale principium operationum vitalium: implicat autem, Deum esse formale principium vitalium operationum creaturæ: ergo. Minor patet, quia esse formale principium vitalium operationum, est illas in se ipso producere, iisque median- tibus obiecta percipere: hoc autem manifestam arguit mutationem in ipso. principio vitæ; ergo, à fortiori constat neque Deum uniri posse cum creatura in ratione Sapientiæ, aut iustitiæ, vel alterius virtutis moralis: quia, cum huiusmodi perfectiones sint actus vitales in Deo; actus autem vitales unius suppositi nequeant communicari alteri supposito, nequit Deus uniri creaturæ in ratione sapientiæ, vel alterius actus vitalis.

30. Deducitur 2. Non repugnare Deo compositionem in ratione causæ efficientis cum causis creatis; quia hæc, cum sit extrinseca, nullam arguit mutationem intrinsecam in principiis ipsis componentibus, sed solam subordinationem causæ inferioris ad superiorem. Vnde Deus sine vlla sui imperfectio- ne, ut causa prima componit unum princi- pium cum qualibet causa secunda, in ordine ad effectum producendum. Hinc fit, ut ne- que Deo repugnet compositio in ratione intel- lectui & intelligibilis: quo pacto Divina essentia, ut species intelligibilis sui, & crea- turarum, componere potest cum intellectu creato unum intrinsecum principium intel- lectuum. Cuius ratio est, quia hæc compositio est in genere causæ efficientis: intelligibile enim efficienter complet intellectum in or- dine ad intellectionem producendam. Nec refert, quod intelligibile denominetur pas- sive intelligi ab intellectione; quia hæc passiva

intelligibilitas, nullam requirit potentiam passivam Physicam in obiecto intelligibili, sed tantum extrinsecam terminabilitatem, quæ appellari solet potentia passiva gram- maticalis. Et ratio est, quia intellectio, à qua de- nominatur obiectum passivè intellectum, non recipitur in obiecto intellecto, sed in po- tentia ipsa intellectiva, & solum extrinsecè terminatur ad obiectum intelligibile.

31. Atque hæc de compositione Physica, quæ certa sunt apud Catholicos. Superest al- tera pars expedienda de compositione Meta- physica, quæ controuersa est vel inter ipsos Catholicos, de qua:

32. PRIMA sententia est affirmans. Grego- rij in 1. dist. 8. quæst. 3. art. 2. Rubionis qu. 1. art. 1. & 3. Marfilij quæst. 12. art. 2. Maioris quæst. 2. Gabriclis q. 1. Baconi quæst. unica art. 2. & 3. & dist. 9. quæst. unica, Holchor. quæst. 6. concl. 3. qui omnes ad minimum affirmant, Deum esse in prædicamento sub- stantiæ, & relationis; alij etiam in prædicamen- to actionis. Rubio verò Deum ponit in om- nibus his prædicamentis substantiæ, relatio- nis, actionis, passionis, quando, & ubi, quin & Verbum ipsum in prædicamento, habere, ratione humanitatis assumptæ. Fundamen- tum huius opinionis est, quoniam aliqua præ- dicamenta secundum omnem proprietatem dicuntur de Deo, velut prædicamentum sub- stantiæ, relationis, & actionis: Nam secundum omnem proprietatem Deus dicitur & est sub- stantia, nec non relatiua, cum verè Pater sit ad Filium, Filius ad Patrem, & uterque ad Spi- ritum sanctum. Deus etiam verè agit produ- cendo personas Divinas: ergo verè, & prop- riè est in prædicamento substantiæ, relatio- nis, & actionis. Consequentia patet, quoniam esse in prædicamento nihil aliud dicit, quàm esse id, de quo verè, & propriè dicitur resi- pla prædicamenti, ut homo dicitur esse in prædicamento substantiæ, quia de ipso verè & propriè dicitur prædicamentum substan- tiæ. Antecedens probo, quia aliqui nullum esset discrimen inter ea, quæ de Deo propriè & metaphorice dicuntur.

33. Confirmatur: nã de quocunque prædi- catur aliquid in quid, quod commune est alijs differentibus specie, id collocatur sub tali prædicabili, tanquam species sub genere: at- qui multa prædicantur de Deo in quid, quæ communia sunt multis differentibus specie. Maior patet ex definitione generis, quod est prædicabile de pluribus differentibus specie in quid. Minor probatur, nam substantia & Spiritus prædicantur de Deo in quid, eaque communia sunt creaturis, specie inter se, & à Deo differentibus. Secundò probatur auto- ritate Patrum, præsertim August. & Damasc. quorum ille lib. 5. de Trin. ca. 8. & 10. docet, aliqua prædicamenta propriè, alia trans- latè de Deo dici: hinc verò in sua introduccio- ne c. 8. apertè affirmat, Deum contineri sub summo genere substantiæ, non minùs, quàm Angelum, Animam, Dæmonem, & li. 3. Fi- dei c. 4. Deum appellat Speciem.

Gregorius.
Rubio.
Marfilius.
Maior.
Gabriel.
Baconus.
Holchor.

August.
Damasc.

Magist.

S. Thomas

Anselmus.

Bernardus.

August.

Censura op-
posita sei-
sentiæ.
Rubio.

Molina.

34. SECUNDA sententia negans est: Magistri & reliquorum Scholasticorum in 1. dist. 8. S. Thom. 1. p. q. 3. art. 5. & omnium eius interpretum: Quæ procul dubio verior est, & rationi conformior: quam passim docent Patres, Anselm. in Monol. c. 26. Bernardus epistola ad Fratres de monte Dei; Aug. ipse, qui pro contraria sententia citatur, libro de cognitione veræ vitæ c. 3. apertè affirmat, nullum prædicamentum de Deo propriè dici. Quin opposita sententia, referente Rubione loco præcitato art. 4. fuit tanquam error in Fide damnata: unde nonnulli recentiores, eam in Fide periculosam esse censent. Ego verò cū Molina 1. p. quæst. 3. art. 5. sicur falsam puto, ita nulli censuræ subijciendam censeo. Pro cuius explicatione,

35. Notandum est, præsentem controuersiam non esse, an Deus sit sub genere aliquo analogo; hoc enim à nemine negari potest: quod inde patet, quia cū de Deo & creaturis aliqua prædicentur, & non tantum æquivocè, aut secundum vocem, ad minimum de Deo & creaturis prædicari debent secundum aliquam rationem analogam, quæ proportionaliter conveniat Deo & creaturis: sed tantum controuersiam esse, an Deus sit sub genere aliquo uniuoco: nam hoc tantum est aptum simul cum differentia componere essentiam metaphysicam, ratio enim analogica cū non præscindat ab inferioribus analogatis, sed ea omnia implicite inuoluat, non est apta componere metaphysicam essentiam, quæ saltem ex duobus conceptibus, perfectè præcisus conitari debet. His adnotatis,

36. Dico 5. Implicat, Deum venire in compositionem Metaphysicam cum creatura atque adeo contineri sub genere aliquo uniuoco cum illa. Fundamentum est, quia talis compositio inuoluit imperfectionem Deo repugnantem. Imperfectio autem est, quia genus importat conceptum à differentiis perfectè præcisum; & vice versâ, differentia conceptum à genere perfectè abstractum: implicat autem huiusmodi conceptus in Deo: ergo. Maior constat, quoniam genus dicit quid potentiale & perfectibile per differentias; differentia verò quid actuale & perfectiua: igitur conceptus vnus excluditur à conceptu alterius: alioqui non possent mutuo componere Metaphysicam essentiam, quia hæc non componitur, nisi ex extremis, quorum vnum saltem conceptibiliter excludit alterum. Minor probatur, quia in Deo nulla ratio potest admitti, quæ vel obiectiue inuoluat perfectibilitatem & limitationem, quia obiectiue Deo tribui non potest, quod ipsius naturæ repugnat, cuiusmodi est omnis ratio perfectibilis & perfectiua, contrahibilis & contractiua: omnes enim istæ rationes tollunt saltem obiectiue actum purum.

37. Confirmatur: quia potentialitas obiectiua, quam inuoluit genus, non fundatur tantum in imperfecto modo concipiendi nostro, sed in ipsa natura rei, præbentis intellectui fundamentum huiusmodi potentialitatem con-

cipiendi. Est autem fundamentum hoc, natura ipsa generis à parte rei coniuncta cum vna differentia, & simul cum priuatione aliarum differentiarum: animal enim à parte rei in homine est coniunctum cum rationalitate, & simul cum negatione irrationalitatis, quam habet in bruto, ex quo habet intellectus fundamentum concipiendi in ipso met homine naturam animalis cum potentia ad priuationem rationalitatis, cum qua de facto est coniuncta in bruto. Implicat autem, concipere in Deo rationem vllam cum potentia ad priuationem Deitatis, cum qua est essentialiter coniuncta. Tale autem fundamentum non præbet ratio analogica, etiam si illa reperiatur à parte rei coniuncta cum differentia vnus, & negatione alterius, ut ratio entis in substantia est coniuncta cum differentia perfectitatis & negatione inaleitatis, quia cum ratio analogica non sit simpliciter vna ab inferioribus perfectè præcisus, sed immediatè dicat ipsa inferiora, non præbet intellectui fundamentum concipiendi rationem ipsam analogam cum priuatione omnium suarum differentiarum: quia semper ratio ipsa communis concipitur, ut immediatè inuoluens rationes ipsas inferiores.

38. Explicatur magis, imperfectio, quam importat genus uniuocum, ex duplici conditione, quam essentialiter includit. Prima conditio est, quia genus prædicamentale abstrahit ab existentia, & solum dicit essentias rerum, quæ tantum in prædicamento collocantur: nam in prædicamento ea tantum collocantur, quæ sunt obiectum scientiæ: ea autem sunt, quæ abstrahunt ab existentia, & solum dicunt essentias: nam hæc tantum sunt necessariæ & æternæ veritatis, quam necessitatem requirit obiectum scientiæ. Repugnat autem, concipere in Deo aliquam rationem abstractam ab existentia. Nec refert, si dicas, eam Deum sortiri ex propria differentia Deitatis: quia saltem Deus non adæquatè constitueretur per esse actuale ac necessarium, sed partim per esse actuale, partim per esse potentiale. Secunda conditio est, quia omne genus prædicamentale coarctatur ad aliquam perfectionem, exclusis perfectionibus aliorum prædicamentorum: atqui nulla ratio in Deo concipi potest coarctata ad vnā tantum perfectionem, cum exclusione aliarum perfectionum, cū nulla ratio in Deo concipi possit potentialis & perfectibilis per aliam.

39. Vltimò probatur, nam si Deus esset in aliquo prædicamento, ex eoque Metaphysicè componeretur, posset propriâ definitione definiri: consequens est contra Patres, præsertim Augustinum & Damascenum, quos aduersarij in suam sententiam trahunt: ille enim de cognitione veræ vitæ cap. 7. sic scribit: Porro summus Spiritus, sicut à nullo intellectu valet propriè cogitari, ita nullâ definitione poterit propriè definiri: Hic autem lib. 1. fidei ca. 4. apertè demonstrat, Deum esse indefinibilem. Sequela verò probatur, nam propria definitio constat ex genere & differentia: igitur

August.
Damascen.

si Deus componitur ex genere vniuoco, & differentia propria Deitatis, poterit verè & propriè definiri: cum ad veram & propriam definitionem nil aliud requiratur, quàm genus, quo res definità vniuocè conueniat cum alijs, & differentia, quā discrepet ab alijs.

40. Ad fundamentum primæ sententiæ, negandum est antecedens: Non enim prædicamenta secundum omnem proprietatem, & rationes, quas includunt, dici possunt de Deo: includunt enim potentialitatem & limitationem ad certam perfectionem, cum exclusionem aliarum, secundum quam imperfectionem nequeunt de Deo dici, atque adeo, vt prædicamenta, nequeunt propriè de Deo enunciari, quia vt prædicamenta, tales imperfectiones essentialiter includunt, à quibus si præscindant, non erunt amplius prædicamenta, sed rationes propriæ Diuine, quæ ita sunt propriæ Dei, vt non conueniant creaturis. Atque hoc indicant Patres, cum dicunt, Deum nō esse substantiam, sed supersubstantiam, vt loquitur Dionys. quem imitantur Damascen. libr. 1. fidei cap. 4. & reliqui Patres.

Dionysius.
Damascen.

41. Ad Confirmat. concedenda est maior, quando ea, quæ prædicantur de pluribus differentibus specie, vniuocè prædicantur; secus quando tantum analogicè prædicantur, cuiusmodi sunt omnia, quæ de Deo prædicantur, quæ non vniuocè, sed tantum analogicè conueniunt cum rebus prædicamentali-
bus.

Explican-
tur Patres.

42. Ad auctoritatem Patrum dico, eos tantum intendere discrimen afferre inter ea, quæ tantum metaphoricè & propriè de Deo dicuntur. Dicuntur autem propriè, & non metaphoricè, etiam si tantum analogicè, & non vniuocè dicantur. Nam etiam analogica conuenientia est propria conuenientia, quamuis imperfecta: accidens enim propriè con-

uenit cum substantia in analogia ratione entis, licet non perfectè & propter hanc analogiam conuenientiam interdum Patres ad differentiam Metaphoricæ prædicationis, affirmant res prædicamentales propriè de Deo dici. Ad loca Damasc. Ref. S. Tho. qu. 7. de potentia a. 3. ad primum, illum accipere genus & speciem non propriè, & in dialectico rigore, sed impropriè & similitudinariè.

S. Thomas.

43. Ex dictis deducitur 1. summam simplicitatem esse propriam Dei, cum nulla sit creatura, quæ aliquam compositionem ex assignatis non admittat.

44. Deducitur 2. Summæ simplicitati Diuinæ non ob stare pluralitatem personarum; cum illæ non conueniant ad componendum vnum neque inter se, neque cum natura.

45. Deducitur 3. Et si simplicitas de formali importet solam negationem compositionis, ac proinde, vt sic, nullam addat perfectionem: materialiter tamen, & de connotato supponere modum essendi cæteris paribus perfectiorem; quia, cæteris paribus, perfectius est habere totum suum esse in entitate simplici, quàm compositā: tum quia quod esse est vnitius, eò est perfectius: tum, quia res simplex est totum quod est: non item res composita, quia res composita non est sua pars, nec vna pars compositi est alia. Iuxta hanc considerationem simplicitas in Deo summam arguit perfectionem, quia supponit modum essendi infinitè perfectum; supponit enim naturam, quæ sine vlla compositione, per summam vnitatem includat infinitas formalitates.

46. Sequitur, 4. simplicitatem esse perfectionem simpliciter simplicem: nam ex definitione perfectionis simpliciter simplicis, in quolibet ente melior est ipsa, quàm non ipsa, nec cum alijs æqualibus, aut maioribus perfectionibus pugnat.

DISPUTATIO VI.

De Immutabilitate Dei.

Henricus.

1. **N**ONIAM, vt rectè Henricus in summa art. 30. immutabilitatis causa est simplicitas: nam quod est summe simplex, nullam in se compositionem admittens, oportet vt ipsum sit immutabile; alioqui si posset aliquam mutationem subire, posset aliquam compositionem, quæ ex tali mutatione in subiecto recepta necessariò resultaret, in se ipso admittere: ideò post disputationem de Simplicitate, annectimus hanc de Immutabilitate.

SECTIO VNICA.

An DEVS sit immutabilis?

1. **R**ATIO dubitandi est triplex. Prima desumitur ex processionibus Diuinis: nam personæ Diuinæ transeunt à non esse productæ ad esse productum; ergo mutantur. Consequentia constat, quoniam prima mutatio rei est, transire à non esse ad esse. Antecedens prob. quia, vt Fides docet,

Verbum